ARISTOTELES LATINUS. CICERO

Ende 13. Jh.

Seite 15r

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26421
Copyright: Admont, Benediktinerstift

et cibus remanet in fundo stomachi ponderosus
et nocivus. Similiter non bibas aquam super cibum donec
veniat tibi in consuetudinem quia stomachus refrige-
rat calores digestionis et cibum confundit et impedimen-
tum generat si multum bibatur quia nichil deterius erit
corpori. Si vero necesse fuerit ut aqua bibatur propter ca-
lorem temporis vel stomachi vel ciborum sit modica
et bene frigida. De modo dormitionis post cibum
et succurrendi viciis stomachi.

Cum comederis incede super strata mollia
deinde temperate dormi et requiesce una ho-
ra super latus dextrum. deinde ad sinistrum revertere et super
illud dormitionem perfice quia latus sinistrum frigidum
est. unde indiget calefactione. Si sentis gravitatem
inventam in stomacho pone super ventrem ca-
misiam calidam ponderosam. vel amplectere puellam
calidam speciosam. Si sentis eructuationem acetosam
signum est frigiditatis stomachi tunc bibe aquam calidam
cum succo acetoso et vome quia incarcerato cibi cor-
rupta inventus est valida corporis destructio. Et motus
ante prandium excitat calorem stomachi. Sed post pran-
dium est nocivus quia tunc descendit cibus indecoctus ad
inferiores partes stomachi et exinde generat inclusiones
et multa alia mala. Dormitio ante prandium ma-
cilentum facit et desiccat humiditatem. post refectionem
implet. corroborat. et nutrit quia dum dormit homo quiescit
corpus et tunc trahitur caliditas naturalis que diffusa est per to-
tum corpus ad stomachum et ad interiora stomachi. tunc
corroborat stomachum super decoctione cibi tunc quando re-
vertitur ad suam quietem. propter hoc dixerunt philosophi quidam
quod magis prodest vespertina comestio quam meridiana quia
meridiana recipit calorem diei quando sensus operantur et anima
vexatur propter ea que audit homo et cogitat. et propter cogi-
tationes et propter alia multa incommoda que corpori conveniunt

ex calore et motu et propter hoc in hora meridiana dif-
funditur caliditas naturalis per exteriora corporis et ideo tunc
multum debilitatur stomachus et fit impotens ad deco-
quendum cibos. In cena vespertina fit totum contrarium quia
tunc corpori accidit tranquillitas laboris et tunc est requies sen-
sibus et anime. Tunc venit noctis frigiditas que ducit
calorem naturalem ad interiora stomachi. De con-
suetudine non mutanda et hora cibandi.

Qui bis solet comedere si solum tamen comederit obe-
rit ei et qui consuevit certa hora comedere et muta-
vit eam nocet quia consuetudo est altera natura. Si aliqua
necessitas que legem non habet compellit ut consuetudinem mu-
tet. debet hoc fieri discrete et sapienter paulatim una vi-
ce post aliam. Non comedas donec purgatus fuerit stoma-
chus a priori cibo quod scies cum desiderium comedendi habere
inceperis. et per subtilitatem salive ad os decurrentis.
quia qui cibos sumit sine necessitate id est comedendi voluntate
inveniet calorem naturalem veluti gelidum. Qui autem cum
desiderio inveniet eum ut ignem accensum. Et cum in-
ceperis habere desiderium comedendi statim debes comedere.
alioquin statim stomachus implebitur malis humoribus quos
contrahit ad se de superfluitate corporis qui contenebrat cerebrum
vapore pessimo. et cum post affluit cibus sit tepidus
et non proficit corpori. De observatione quattuor temporum anni.

Anni quidem quattuor sunt tempora et sic distinguuntur. a me-
dio marcii usque ad medium Junii. ver habetur.
A medio Junii usque ad medium septembris dicitur
estas. A medio septembris usque ad medium decem-
bris dicitur autumpnus. A medio decembris usque ad me-
dium marcii dicitur hyemps. Debes quoque sollicite custo-
dire quattuor anni tempora. quia ver est tempus calidum et humidum
temperatum. et sanguis excitatur in eo quia proficit in eo omne
quod fuerit equalis complexionis id est temperate. ut sunt pulli
galline coturnices et ova non superflua sed usque ad sex